



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Simeon Conf. 26. Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

bat ex parentum, non virginis , voluntate , Obo-  
nenus homo non tam sanguine, quām sceleribus no-  
bilis , cūm ecce rege jubente nuptialis pompa in  
funebrem abit, & hujus imperio Obolenus in cat-  
cerem, non thalamum ducitur , sceleris convictus,  
mortem subit, non lectum ; lessum audit, non Hy-  
menæum. Vix hanc pugnam castitas pugnavit,  
cūm altera excipit vietricem. Despondent iterum  
homini GLODES INDEM , & melioribus jam, ut ipſi  
putabant, auspiciis. Quid ageret pudor bis prodi-  
tus? more Parthi fugiendo vincit, ad D. Stephani  
contendit asylon, aram prehendit , & quem unum  
deperibat, Sponsum L E S V M complectitur. Hederam  
viti illigatam dixisse. Et jam septimus dies ierat, &  
virgo celi deliciis plena non senserat famem , cūm  
apparantur palam & in conspectu populi nuptiae  
placituaræ tandem ipſi etiam virginī. Adsunt è celo  
niridissimi duo Ephebi Paronymphi , tertius flam-  
meo inde etiam allato non repugnantem obnubit,  
jamque urbe attonitâ , jam parentibus etiam galli-  
dentibus, GLODES INDIS in thalamo suum (Vir-  
ginum Collégium) abducitur. Ex Surio.

Cura habere lilia penes te, si vis habere Deum  
habitatorē litorum habitantem in te. Opus tuum  
studium tuum, desiderium tuum lilia esse profe-  
stantur moralis guidam rerum ipsarum candor at-  
que odor. S. Bern. serm. 71. in Cant.

## S. SIMEON CONF. 26. Iulij.

**M**undum omnem suis beneficiis obambulare  
voluisse SIMEON videtur , etiam postquam  
exivit è mundo, & vel inter Monachos vel Eremita-  
colas vixit. Inter hos agenti cūm famae ultima  
mina-

minaretur, cervus Divo sponte suâ victimam se  
suffit. Hierosolymæ hospes cùm degeret, malos  
hospites dæmones septem sibi fecit cedere. Ro-  
nre hereseos accusatus, accusatorem, quem malus  
genius corripuerat, precibus suis reus absolvit.  
Plura alia mira cùm celebrem illiæ facerent, ho-  
nores fugiæ elusit. Fugientem cùm Monachi ex iti-  
nere verberibus male accepissent, conjectique eam  
ob rem in vincula ab Episcopo fuissent, SIMEON  
noctu hostes suos è carcere exemit; & gloriolam  
iterum fugiendo vicit. Pisas cùm ingredieretur,  
obvium è Styge nuntium habuit illud rogantem:  
*Quo tendis Monache?* SIMEON hoc tantum res-  
pondit: *Quò me Christus duxerit.* & ecce molestus  
rogator viam suam ilicò in orcum relegit. Hinc  
Lucam venit. Ibi cùm Iudæorum Antesignanum  
bellum Virginitati DEIPARAE moventem morte  
subitæ sterneret, reliqui manus dederunt. Placentiæ  
noctu oraturum suopre motu apertum templum re-  
cepit. Padum pedes trajecit tam citò ut velis &  
remis usum crederes. Iamque quocunque iret, è viâ  
morbi cedebant. Sed nos fistimus calatum fessum.  
Tu quoque Lector, ne orbem nobiscum perambula-  
re cogaris, similia illum in Galliis & Hispaniis fa-  
ctitasse puta. Ex Ferrar.

Vi evadas hominem Dominum, quicumque ser-  
vus es, fugi in ea loca, ubi non est Dominus tuus:  
ut evadas Deum, fuge ad Deum: nam non est, quò  
effugias Deum, præstos sunt omnia & nulla Omnipo-  
tentis oculis. S. Aug. in Psal. 30.

Q 3

S. PAN